CATVLLI CARMINA

I

Cvi dono lepidum nouum libellum
arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
meas esse aliquid putare nugas
iam tum, cum ausus es unus Italorum
omne aeuum tribus explicare cartis
doctis, Iuppiter, et laboriosis.
quare habe tibi quidquid hoc libelli
qualecumque; quod, ⟨o⟩ patrona uirgo,
plus uno maneat perenne saeclo.

II

Passer, deliciae meae puellae,
quicum ludere, quem in sinu tenere,
cui primum digitum dare appetenti

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id416199798/9 UNIVERSITÄT LEIPZIG